

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Fritz Bindseil

**De Syracusarum obsidione bello Peloponnesiaco facta, quae est apud  
Thucydidem : Dissertatio inauguralis philologica**

Lignitziae: Typis H. Krumbhaari, [1872]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857669819>

Druck Freier  Zugang



OCR-Volltext

DE  
SYRACUSARUM OBSIDIONE  
BELLO PELOPONNESIACO  
FACTA,  
QUAE EST APUD THUCYDIDEM.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

FRIDERICUS BINDSEIL,  
SAXO-BORUSSUS.

*Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Postochionensis*

LIGNITZIAE, [1872]

TYPIS H. KRUMBHAARI.



FRATRI DILECTISSIMO

# THEODORO

SACRUM.



Syracuse, Siciliae maxima et longe opulentissima urbs, belli Peloponnesiaci tempore ex duabus partibus, Ortygia et Achradina compositae erant. Ortygiam enim, sitam in insula, quae ad meridiem versus in magnum qui dicebatur portum porrigitur, Archias Corinthius condiderat<sup>1)</sup>, Achradinam autem coloni ab insula in Siciliam transgressi pedetentim aedificiis impleverant. Utrum Achradina spatio non intermisso Ortygiam excepit, an lautumiis et catacumbis sejuncta sit, in dubio est<sup>2)</sup>; id quidem mihi constare videtur, Ortygiam et Achradinam tempore eo, de quo agimus, muro conjunctas fuisse, id quod Thucydides dilucidis verbis confirmat. Neque vero dubitatur, quin jam antiquissimis temporibus Ortygia cum continenti terra vallo lapideo, atque postquam destructum est, ponte conjuncta sit<sup>3)</sup>.

1) Thuc. VI 3: Συρακούσας . . Ἀρχίας τῶν Ἡρακλειδῶν ἐν Κορίνθον ὥσπερ. De fabulis conditionis cf. Holm Geschichte Siciliens im Alterthum p. 120—121.

2) cf. Holm I. l. p. 126—128.

3) cf. Strab. I p. 102: παθάπτερ ἐπὶ τῆς πρὸς Συρακούσας νήσου νῦν μὲν γέφυρά ἔστιν ἡ συνάπτουσα αὐτὴν πρὸς τὴν ἥπειρον πρότερον δὲ χῶμα, ὡς φησιν Ἰβυκος, λογαῖον λιθον, ὃν καλεῖ ἐπιλεκτον

Achradina et praeruptorum scopulorum natura et operibus factis manu optime munita erat, ut etiam Ortygiam jam tunc muro circumdataam suisse suspicari nobis licet; nam postea eam et id quidem a Dionysio tyranno munitam esse, certissime traditum est.<sup>1)</sup> — A tertiiis lateribus Syracusae alluuntur mari, quarto cohaerent cum interioribus Siciliae partibus. Hie autem totus locus, cui nomen erat Epipolae, magis magisque ad interiora assurgit et aditus difficillimos habet.<sup>2)</sup>

Is fuit situs et condicio Syracusarum, quum Athenienses anno CCCCXV a. Chr. n. classe CXXXIV triremium, armamentis multisque instrumentis optime instructa in Siciliam profecti sunt.<sup>3)</sup> Parvis expeditionibus alio factis exercitum in magnum Syracusarum portum exposuerunt (VI 65), sed quamquam proelio victores (70), hieme atque equitum et pecuniae inopia moti (71) in hiberna Naxum et Catanam se receperunt, ut proximo vere Syracusas majore vi aggredierentur. Syra-

<sup>1)</sup> cf. Diod XIV 7. Cie. Verr. V e. 32. Liv. XXIV 23.

<sup>2)</sup> cf. Thuc. VI 99: χωρίον ἀποφρήμυνον τε καὶ ὑπέρ τῆς πόλεως εὐθὺς πειμένον et schol. ad h. l.: ἐπὶ ζεγκόνησου ἡ πόλις τῶν Συρακουσίων πεῖται, γενομένον τινὸς λεθμοειδοῦς, τῇ μὲν ὑπὸ τούμεγάλον λιμένος, τῇ δὲ ὑπὸ τῆς ἐπὶ θάτιφον θαλάσσης.

<sup>3)</sup> de consiliis, quibus usi sunt Ath. cf. Thuc. VI 6. 15. 90 et de bello altero ab Atheniensibus in Sicilia gesto comment. Theod. Kelchii, Elbing 1834. De ingenti exercitu cf. Thuc. VI 43. 44. Plut. Alc. 20. —

cusani vero, Athenienses reddituros et impetum in urbem renovaturos esse certiores facti, hanc majore ac firmiore muro circumdare constituerunt. Itaque quum intellexissent, urbem, quo major esset ambitus, eo difficiliorem habere oppugnationem, murum aedificaverunt, quo Temenitem, locum templum Apollinis et olivetum continentem, munirent et cum Achradina conjungerent.<sup>1)</sup> Itaque factum est, ut illa regio postea urbis pars fieret et aedificiis repleta Neapolis appellaretur. Praeterea Syracusani impedituri, quominus Athenienses naves ad terram appellerent, duo castella fecerunt, alterum Megaris Hyblaeis, alterum in Olympio, Jovis Olympii delubro trans flumen Anapum sito. Litus autem, ubicunque erant opportuni egressus, vallis muniverunt atque Epipolarum aditus, qui

<sup>1)</sup> Verba Thuc. sunt haec (VI 75): Ἐτείχισον δὲ καὶ οἱ Συρακόσιοι ἐν τῷ χειμῶνι πρὸς τε τὴν πόλει τὸν Τεμενίτην ἐντὸς ποιησάμενοι, τείχος παρὰ πᾶν τὸ πρὸς τὰς Ἐπιπολὰς ὁρῶν, ὅπως μὴ διὰ ἑλάσσονος εὐαποτείχιστοι ὀσιν, ἵνα ἄρα σφέλλονται. Verba „παρὰ πᾶν τὸ πρὸς τὰς Ἐπιπολὰς ὁρῶν“ hand accurate dicta esse videntur. Nam sine dubio Syrac. murum illum eo consilio aedificaverunt, ut totam urbem amplecteretur. Idem igitur est atque is, qui VI 100 τὸ παρατείχισμα τὸ περὶ τὸν Τεμενίτην appellatur. Temenites autem, antiquitus cognomen Apollinis, cuius illud templum erat, postea, ut saepe fit, in totius regionis significationem abiit. De loco, quo fuerit templum, discrepantia est. Equidem credo, templum in colle quodam (VII 3 τὴν ἄκραν τὴν Τεμενίτην) et collem in septentrionali Neapolis regione, quae spectabat ad medias Epipolas, fuisse.

erant prope Euryelum tumulum<sup>1)</sup> custodire decreverunt, quod Syracusas concludi non posse, nisi Athenienses Epipolis potiti essent, persuasum habuerunt. Sed haec omnia, quamvis prudenter excogitata, Atheniensium celeritate ad irritum ceciderunt. Athenienses enim totam per hiemem omni cura et industria id egerunt, ut opes et copias augerent. Itaque Athenas legatos miserunt, qui pecuniam et equitatum peterent (74) et Siciliae urbes quam plurimas ad se perducere conati sunt.<sup>2)</sup> Quin etiam Carthaginenses et Etruscos

<sup>1)</sup> Euryelum tumulum ad occasum versus situm fuisse facile intelligitur ex his: Livius enim XXV 25 dicit: „Tumulus est in extrema parte urbis versus a mari viaeque imminens ferenti in agros mediterraneaque insulae, percommode situs ad commeatus excipiendos“. Cum quibus verbis consentiunt optime, quae dicit Thuc. VII 2; narrat enim, Gylippum ex mediterraneis insulae regionibus profectum prope Euryelum, ubi prius etiam Athenienses ascenderint, Epipolas pervenisse et VII 43 Demosthenem ex regione inter Epipolas et magnum portum interiacente pariter Euryelum petivisse (*ἧπερ καὶ ἡ προτίχα στρατιὰ τὸ πρώτον ἀριβῆ*). Unde apparere videtur, alios aditus nisi prope Euryelum in hac Epipolarum parte nullos fuisse et Euryelum ad occasum versus situm fuisse. Attamea Arnoldus p. 522 probare studet, Euryelum prope antiquas lapicidinas seu lautumias fuisse et Athenienses per rupes ad latus septentrionale sitas in verticem pervenisse. Difficile enim esse intellectu, quomodo fieri potuerit, ut Athenienses, qui in Leonte portu ad septentrionem vergente naviibus egressi sint, sine magno circuitu Epipolas venire potuerint. Sed Arnoldi opinioni obstant verba et Livii et Thueydidis atque Athenienses illum circuitum revera fecisse putandi sunt. —

<sup>2)</sup> Siculorum eorum, qui in planicie habitabant et Syracusanis

auxilium rogaverunt (88). Itaque postquam quaecunque ad urbem obsidendam necessaria erant paraverunt atque omnia auxilia coegerunt (94), vere ineunte cum universis copiis Catana profecti, in locum, qui Leon dicebatur et sex septemve stadia ab Epipolis distabat, classem appulerunt.<sup>1)</sup> Atque dum Syracusani exercitum in prato ad Anapum flumen sito lustrant et sexcentos milites duce Diomilo eligunt, ut Epipolis praesidio et ad quodque periculum praesto sint (96), Atheniensium copiae e navibus exponuntur, celerrimo cursu ad Epipolas contendunt et in eas prope Euryelum prius ascendunt, quam Syracusani e prato advenire possent; illud enim ab Epipolis viginti stadia distabat. Quum vero quam celerrime accurrissent, incompositi adveniunt et facili proelio in ipsis

erant subjecti, haud multi ad Athenenses defecerunt, ii vero, qui in terra media erant, paucis exceptis omnes ab Atheniensium partibus steterunt atque pecuniam, equitatum, frumentum contribuerunt. E graecarum autem urbium numero cum Atheniensibus fecerunt Naxos, Catana, Leontini, Italiae Rhegium. Syracusanorum contra sociae erant praeter Camarinam reliquae urbes Doricae, quae initio belli Peloponnesiaci ad Lacedaemoniorum societatem accesserant Gela, Arragas, Selinus, Himera Messana. cf. Thuc. III 86. VI 88. 46.

<sup>1)</sup> Leontem fuisse locum propemodum recta ad septentrionem a Targia spectantem, ubi sinus, qui nostra aetate Magnisi dicatur, inter ortum brumalem et meridiem vergat, medio circiter itinere a Thapsso ad Santam Pantagiam ferente, recte vidit Arnoldus in exc. p. 522.

Epipolis victi trecentis circiter amissis in urbem se recipiunt. Ita Athenienses loco illo opportunissimo potiti sunt (97).

Postridie Athenienses ad urbem ipsam progressi atque quum Syracusani eruptionem non fecissent regressi, in Labdalo, quod in extremis Epipolarum rupibus ad septentrionem versus situm erat, castellum exstruxerunt.<sup>1)</sup> Non multo post

<sup>1)</sup> De loco, quo fuerit illud Labdalum, multa jam disputata sunt. Thuc. VI 97, 5 dicit haec: φρούριον ἐπὶ τῷ Λαβδάλῳ φυ-  
δόμησαν ἐπ' ἄκραις τοῖς κορημοῖς τῶν Ἐπιπολῶν ὅρον πρὸς τὰ  
*Mέγαρα*. Quae verba alii interpretantur: in ipsa extrema rupe  
Epipolarum, alii in extremis collibus Epipolarum i. e. summis,  
editissimis. Sed is fuit situs Euryeli, non Labdali; nec vero  
*κορημός* significat collem, sed rupes. cf. Goeller. de situ et  
origine Syrac. p. 55. Arnoldus igitur p. 523 Labdalum aut eo  
ipso loco, ubi nunc Belvedère mons aut prope ab eo situm  
fuisse dicit (id est, ubi Euryelum plerique collocant); nam ibi  
demum Syracusas versus leniter declive esse desinere et in  
contrariam partem, in interiora et Megara versus prospectare.  
Eum secutus est Bloomfieldius. At Goellerus, Belvedère extra  
Epipolas jacere et tumulum esse, non *κορημόν*, denique longius  
abesse, quam ut ab Atheniensibus ἀποθήκη τοῖς τε σπένεσι καὶ  
τοῖς κορημασι constitui potuerit, opponit. Quae quum ita sint,  
ii recte judicasse mihi videntur, qui Labdalum fuisse in iis Epipolarum  
rupibus, quae spectent ad septentrionem, concludant. Bene igitur de hac re judicat Meinshausen (Progr. Molhus. 1856  
p. 5). Die Worte des Thuc., inquit, können nichts anderes be-  
deuten als am äussersten, nördlichen Rande von Epipolae, schon  
aus dem einfachen Grunde, weil sie mit der Flotte in der näch-  
sten Verbindung bleiben mussten. Denn eine solche Thorheit  
kann man doch dem Nicias nicht zutrauen, seine Depots, Mag-  
azine etc. auf dem höchsten Gipfel von Epipolae anzulegen;

Athenienses, quum equitatum trecentis Segestanorum, circiter centum Siculorum, Naxiorum atque aliorum quorundam equitibus auxissent atque in castello Labdalo praesidium reliquissent, ad Sycam in mediis Epipolis sitam pogressi, „τὸν κύκλον“ exstruxerut.<sup>1)</sup> Hunc „κύκλον“ neque murum oppugnantium neque murum Labdali fuisse, sed nihil nisi munimentum in similitudinem orbis circumactum, satis mihi persuasit Didotius. Ath-

---

das hiesse die Sache sich selbst schwer machen, und aus den Worten des Thuc. VII 3 ἢν δὲ οὐκ ἐπιφανὲς τοῖς Ἀθηναῖοις τὸ χωρίον geht zur Genüge hervor, dass es hinter den nördlichen Höhen von Epipolae liegen musste. Quas ad causas accedere mihi videntur etiam haec: Gylippum Himera profectum in Epipolas prope Euryelum escendisse et ad Atheniensium murum progressum esse Thuc. VII 2 narrat. Itaque si Labdalum non fuissest in Epipolarum rupibus septentrionalibus sed in iis, quae ad occasum vergunt, Gylippum proxime illud praetergressum esse in aperto est. Si vero proxime praetergressus est, cur, quae, neque castellum oppugnavit neque ab Atheniensibus, qui castello erant praesidio, ne longius prodiret, prohibitus est? Quorum neutrum factum esse si reputaveris, facile intelliges, nec Labdalum a Gylippo nec Gylippum ab Atheniensibus conspectum esse neque omnino conspici potuisse, quippe quod in Epipolarum rupibus iis fuerit, quae spectant ad septentrionem. cf. etiam Schubring, die Bewässerung von Syrak. Phil. XXII p. 629 sqq.

<sup>1)</sup> Verba Thuc. sunt (98, 2) haec: ναι πατεστήσαντες ἐν τῷ Λαβδάλῳ φυλακήν ἔχοντες πρὸς τὴν Συνῆν οἱ Ἀθηναῖοι, ἵναπερ παθεξόμενοι ἐτέιχισαν τὸν κύκλον διὰ τάχους. Ne quemquam articolus offendat, quandoquidem „κύκλος“ antea nondum memoratus sit, Bloomfieldius eum in militaribus operibus significandis saepe usitatum esse demonstrat.

nienses illum cyculum aedificaverunt, ut prope ab obsidionis operibus haberent, quo celeriter in repentina hostium impetu operas reducerent et se ipsos et vulneratos vel aegrotos reciperent, ut Nicias ipse propter morbum (*νόσος νεφρῖτις* VII 15) ibi relictus esse videtur. Quamobrem munitus est propugnaculo (*προτείχισμα* 102, 2), quod Syracusani postea captum deleverunt, quum cyclus ipse Niciae prudentia conservaretur cf. 102, 2, 3.

Syracusani quum vidissent, quanta celeritate Athenienses cyculum perficerent, copias eduxerunt, ut hostes ab opere propellerent. Sed frustra; pedestres enim perturbati et equites in urbem rejecti sunt (98). Tum cyclus perficitur; postridie Athenienses ab illo et ad septentrionem et ad meridiem murum, ut saepirent Syracusas, moliri cooperunt, altera parte murum ipsum aedificante, altera per id spatium, quo fieret, lapides et materiam deponente.<sup>1)</sup> Syracusani vero maxime Hermocrate auctore, quum proelii fortunam periclitari jam nollent, sed e re sua existimarent,

<sup>1)</sup> Verba Thuc. sunt haec (99, 1): *Καὶ τὴν ἔστεραις οἱ μὲν τείχιζον τῶν Αθηναίων τὸ πρὸς βορέαν τοῦ κύκλου τείχος, οἱ δὲ λιθοὺς παὶς ξύλα ξυμφοροῦντες παρέβαλλον ἐπὶ τὸν Τρώγυλον καλούμενον . . . . .* Ex his verbis, quomodo Meinshausen I. l. p. 6. et Curtius Gr. Gesch. II p. 580 concludere possint, utrumque simul inceptum esse opus ab Atheniensibus, equidem non intelligo.

se Atheniensium opera muris intercipere et impedire, quominus perficerentur, ipsi ab urbe orsi murum obliquum extruxerunt (99, 3). De loco, ubi hic murus ductus est, interpretes varie statuunt. Alii, ut Heilmannus, Mitfordius murum fuisse ad meridiem inter Epipolas et magnum portum putant, quod Thucydides, ubi Syracusanos coepisse hunc murum exstruere narrat, statim addat, classem Atheniensium in magnum portum tunc nondum invectam esse, quae verba, eur murus ille inchoari potuerit, explicare videantur. Illa verba autem habere interpretationem illi dissimillimam postea ostendam; praeterea autem nihil est causae, cur Athenienses, qui mediis Epipolis in muro aedificando versantur, e vestigio murum aggrediantur, quamquam, ut in aperto est, hic murus australis non impedimento est, quin septentrionale opus perficiant. Itaque Arnoldus murum illum adversus australem Epipolarum crepidinem et subter eam, in parte minus edita, quae sit inter Epipolas et planitiem media, ductum esse dicit et hanc opinionem eo confirmat, quod oleae „τοῦ τεμένος“ ad ligneas turres muro imponendas excisae sint. At recte Poppo opponit, eas caedi potuisse, quamvis munimentum non in ipso τεμένει, sed prope id fieret. Neque vero constat, ut jam antea vidimus, Apollinis delubrum Epipolarum in australibus partibus situm

fuisse. Itaque alii murum sursum per Epipolas ductum esse contendunt. Et id quidem recte. Nam primum Thucydides dicit „*κάτωθεν τοῦ κύκλου*“ id est: „*infra cyculum*“. Nam si in memoriam redigerimus, Epipolas fuisse declives, bene intelligemus, „*κάτωθεν*“ idem valere atque „*ex adverso*“ (gegenüber). At obloquitur Poppe, quum dicit, mirum esse, quod Syracusani murum illum in lautumiis et medias Epipolas, tunc ab Atheniensibus insessas, direxerint; nam quum isti Labdalum et Euryelum tenerent, aditum reliquae Siciliae sibi non patefecissent. Cui sententiae oppono haec: Syracusani muro illo obliquo, praeterquam quod impedire voluerunt, quominus Athenienses urbem totam circummunirent, id maxime egerunt, ut partem eam, quae ab Epipolis usque ad mare septentrionale protenditur, patefactam haberent. Qua via, si pateret, assecuti essent, primum, ut ipsi ad interiora Siciliae egressum liberum haberent, deinde, id quod maximum erat, ut Athenienses a classe intercluderent; ea enim erat adhuc in Thapsos isthmo; atque hanc ab causam addit Thucydides verba: *αἱ δὲ νῆσοι τῶν Ἀθηναίων οὖπι τὰς Θάψου περιεπελεύχεσαν ἐξ τὸν μέγαν λιμένα, ἀλλ' οἵ Συρακόσιοι ἐκράτουν τῶν περὶ τὴν θάλασσαν, κατὰ γῆν δὲ τὰς Θάψου οἱ Ἀθηναῖοι τὰ ἐπιτήδεια ἐπήγοντο.* Quantum denique Syracusanorum intersit, ut per

illam regionem murum ducant, etiam postea videbimus. Nam iterum eodem loco murum aedificare periclitantur. cf. VII 4.

Syracusani quum murum, quem etiam vallo muniverant, satis firmum esse putarent, una tribu ibidem praesidio relictâ ad urbem se receperunt. Athenienses vero aquae ductibus destructis, quod et reliquos hostes circa aestus meridianos intra tentoria se continere et eos, qui in vallo erant, negligentius custodias agere observaverant, trecentos milites electos miserunt, ut cursu repentinô ad Syracusanorum murum contendenter. Reliquas copias in duas partes diviserunt, quarum altera hostes eos, qui ex urbe, altera eos, qui e portula muri exirent, sustineret.<sup>1)</sup> Quibus dispositis illi trecenti vallo et muro expugnatis Syracusanorum praesidium in Temenitis propugnaculum (*τὸ παρατείχισμα τὸ περὶ τὸν Τσευνίτην*) propulerunt et tam acriter ad urbem persecuti sunt, ut una cum illis et ipsi in urbem intrarent. Et inde quidem rursus ejecti sunt, sed et murum

---

<sup>1)</sup> Thue. 100, 1: *ἡ μὲν μετὰ τοῦ ἐτέρου στρατηγοῦ πρὸς τὴν πόλιν εἰ ἐπιβοηθοῖεν ἵχώρον, ἡ δὲ μετὰ τοῦ ἐτέρου πρὸς τὸ σταύρωμα τὸ παρά τὴν πυλίδα.* Portulam eam esse, ut Popponi et Goellero videtur, per quam e Temenite in Epipolas exitus patuerit, coneedere non possum. Nam eur Athenienses copias in duas partes diviserint, non liquet. Itaque cum Meinshausenio facio, qui portulam fuisse in ipso muro opinatur.

Syracusanorum obliquum diruerunt et vallum evellerunt atque vallos ad se transportarunt.  
cf. 100, 2—3.

Quibus factis Athenienses, quum intellexissent, Syracusanos muro obliquo disjecto hujus partis circummunitio*n* impedimento esse non posse, sua opera hand perfecta reliquerunt et ad murum australem aedificandum se converterunt. Fortasse etiam Nicias murum australem majorem habere vim existimavit et classem, quae parum ad res gerendas adhibita esset, majori esse posse usui. Itaque a cyclo profecti per rupes australes et per loca demissa ac palustria, ubi erat ad magnum portum spatium brevissimum, murum erigere conati sunt. (cf. 101, 1.) Syrae*ns* vero interea egressi mediam per illam paludem, cui nomen erat Lysimeliae, ab urbe orsi vallum et fossam aedicaverant, ne Atheniensibus usque ad mare murum porrigeret liceret. Sed hi rupibus australibus munitis Syracusanorum opus destruere constituerunt atque quum classem e Thapso in magnum portum circumire jussissent, ipsi prima luce ab Epipolis copiis in planitatem deductis paludem, qua coenosa et maxime solida erat, supra fores assesque substratas transierunt et vallum fossamque aggressi sunt. Atque exorta est pugna, in qua dextrum Syracusanorum cornu in urbem, sinistrum juxta Anapum flumen fugatum est. Quod ut a ceteris

secerneretur Atheniensium illi trecenti, qui antea electi erant, maximo cursu pontem, qui ad Olympieon trans Anapum ferebat, petierunt. Sed Syracusani, quorum erant multi equites, illos trecentos in fugam converterunt atque etiam dextrum Atheniensium cornu perturbaverunt. Quibus laborantibus Lamachus sagittariorum manu auxilio accurrit, sed fossam transgressurus cuin nonnullis comitibus interfectus est. cf. 102. Qua re animos receperunt ii, qui antea ad urbem fugerant, et acie denuo instructa partem quandam suorum adversus cyclum in Epipolis situm miserunt, quum sperarent, fore ut desertum caperent. Propugnaculum quidem cycli expugnatum et dirutum est, cyclus vero ipse servatus est, quum Nicias, qui propter infirmam valetudinem ibi remanserat, machinas et materiam omnem, quae erant ante murum congestae, accendi juberet et Syracusanos, qui proprius accedere ausi non sunt, propelleret. Atque etiam jam Athenienses ex inferioribus partibus accurrerunt. Quum autem classis Atheniensium e Thapsō in magnum portum invehens cerneretur, Syracusani celeriter in urbem se receperunt atque desperarunt, se praesentibus copiis impedituros esse, ne Athenienses murum usque ad mare perducerent. Neque vero hi deerant suis operibus, sed exercitu universo et navalii et

pedestri congregato dupli<sup>1)</sup> muro Syracusas conludebant. cf. VI 103.

Syracusanorum res male se habuerunt. Primum enim copiae erant Atheniensibus inferiores needum auxilia, quae erant ex Peloponneso promissa, advenerunt. Quid? quod proeliis victi et in urbe interclusi rei frumentariae et, quam aquae ductus deleti essent, etiam aquae in summam inopiam conjecti sunt. Has autem difficultates quum constanter perferre nollent, jam de ditione agere cooperunt atque alii alios in suspicionem adduxerunt et ducibus imperio abrogato Heraclidem, Euclem, Telliam in eorum locum suffecerunt.

Sed jam auxilia appropin quarunt. Gylippus enim Lacedaemonius, qui Alcibiade auctore a Lacedaemoniis Syracusanis auxilio missus erat, illo tempore ad Leucadem fuit atque quum ex atrocissimis de Syracusanorum rebus nuntiis allatis intellexisset, summa festinatione opus esse, quam celerrime cum duabus Laconicis totidemque

1) Cur Athenienses duplice murum, non simplicem aedificaverint, haud difficile est intellectu. Id enim propterea factum est, quod praesidia a Syracusanis in Olympie collocata facillime a tergo Athenienses adoriri potuerunt. Atque eandem ob causam Athenienses murum usque ad Epipolarum declivia tantum, non, ut Goellero placet, ad medias Epipolas duplice perduxerunt.

Corinthiacis navibus Jonio sinn trajecto Tarentum profectus est. Unde Syracusas nondum totas circumunitas esse certior factus Himeram invehi constituit, ut terra Syracusas perveniret. Atque Nicias, quamquam Gylippum Syracusanis auxiliari compererat, id parvi momenti aestimavit et, ut Thucydidis verbis (104, 3) utar: *ληστικώτερον ἔδοξε παρεσπενασμένους πλεῖν καὶ οὐδεμίαν γυλαζήν πω ἐποιεῖτο.* Postea autem quum Gylippum Loeros proiectum esse audivisset, quatuor naves Rhegium emisit (VII 1, 2). Sed hae sero advenerunt et Gylippus Himeram naves appulit. Ibi comparavit exercitum, qui ex septingentis classiariis et nautis, mille Himeraeis, item mille circiter Siculis, Selinuntiorum aliquot levis armaturae militibus et equitibus et Gelensium paucis constituit, atque iter fecit Syracusas. Syracusani autem jam de Gylippi adventu a Gongyo Corinthio, qui paullo ante Syracusas pervenerat, certiores facti, animis erectis copias ex urbe eduxerunt, ut Gylippo obviam irent. Hic Epipolas, qua via etiam Athenienses antea usi sunt, prope Euryelum ascendit et cum Syracusanis se conjunxit. Advenit autem eo tempore, quo Athenienses duplicis muri ad magnum portum spectantis septem vel octo stadia perfecerant, ita ut exigua tantum pars eaque mari proxima relin-

queretur, alterius autem circummunitio*nis* partis<sup>1)</sup>, quae a eyelo vergebant ad Trogilum, lapides comportatos deposuerant.

Nullo vero modo nisi maxima incuria et negligentia Niciae fieri potuit, ut Gylippus cum Syracusanis per lacunas, quae inerant in septentrionali circummunitio*nis* parte, se conjungeret. Verisimile enim est, maximam Atheniensium partem in operibus australibus perficiendis occupatam et paucos tantum, non plures quam qui munimenta custodirent et pauciores, quam qui ultro peterent hostem, in Epipolis collocatos fuisse. Quamquam autem, quum Gylippum cum Syracusanis conjunctum esse audivissent, animis perterriti atque perturbati sunt, tamen aciem instruxerunt atque legatum, quem Gylippus miserat, ut Atheniensibus indicaret, si quinque diebus ex Sicilia decederent, se cum iis pacturum esse, sine responso remiserunt. Quo facto copiae ad proelium instructae sunt. Sed Gylippus, quum Syracusanos animis percuslos esse intellexisset, in locum patentiorem et quum Athenienses subsecuti non essent, in

<sup>1)</sup> Hanc sententiam confirmant sine dubio verba Thueydidis, quae sunt VII 2, 4: *τῷ δὲ ἄλλῳ τοῦ κύκλου πρὸς τὸν Τρογύλον . . .* Nam aut „τοῦ κύκλου“ vox idem valet atque „circummunitio“, quamquam aliis locis id non significat, aut cum plerisque haec verba corrupta esse existimemus oportet. An forte ponenda est pro „ἄλλῳ“ praepositio „ἐπό“?

Temenitem collem pedem recepit. Itaque illo die pugna non est commissa. Sed postridie Gylippus, dum maximam militum partem iterum prouductam contra Atheniensium muros instruit, missa manu Labdalum castellum cepit. Labdalo autem capto Syracusani potestatem adepti sunt muri aedificandi, qui, ne jam circumvallarentur, prohiberet. Itaque ab urbe orsi per Epipolas sursum simplicem murum duxerunt. Verba Thucydidis, quae exstant VII 4, 1 leguntur sic: *καὶ μετὰ ταῦτα ἐτείχιζον οἱ Συρακόσιοι καὶ οἱ ἔνιμαχοι διὰ τῶν Ἐπιπολῶν ἀπὸ τῆς πόλεως ἀρξάμενοι ἄνω πρὸς τὸ ἐγκάρσιον τεῖχος ἀπλοῦν . . . ;* in his quid valeant „πρὸς τὸ ἐγκάρσιον“, multum sane disceptatum est. Alii enim dicunt, jungendum „τεῖχος ἀπλοῦν“ cum „ἐτείχιζον“ et verba „πρὸς τὸ ἐγκάρσιον“ absolute accipienda esse, quum adverbialiter „in obliquum“ dicta sint. Cui explanationi repugnant verba, quae sunt eod. libro c. 7, 1: *μέχρι τοῦ ἐγκαρσίου τείχους.* Alii igitur, ut Heilmannus, Bredovius, Haackius, Arnoldus, Manso (Sparta II p. 449) *τὸ ἐγκάρσιον τεῖχος* Atheniensium aut murum quendam aut totam circummunitiōnē significare et ad v. *ἀπλοῦν* vocem *τεῖχος* supplendam ex proximis sive bis cogitandam esse arbitrantur. Cujus interpretationis alteram partem recte se habere, haud scio an nemo neget, at *τὸ ἐγκάρσιον τεῖχος* nullo modo fieri potest, ut denotet murum Athenien-

sium. Redeunt enim eaedem difficultates, quae priori enodationi obstant, quod Thucydides diserte c. 7, 1 dicit: *ξυρετείχισαν τὸ λοιπὸν τοὺς Συρακουσίους μέχρι τοῦ ἐγκαρφτοῦ τείχους*, ubi verba *τ. ἐγκ.* *τείχ.* ad Atheniensium munitionem non pertinere facile intelligitur. Quae quum ita sint, sententia ea sola recta est, ex qua *τὸ ἐγκ. τείχος* sit murus quidam Syracusanorum. Atque eodem nomine appellat Thucydides illum murum lib. VI 99, 3 et VII 7, 1. At illum murum, quem Thucydides VI 99, 3 dicit, non multo post quam factus sit, ab Atheniensibus deletum esse, sunt qui obloquantur. Recte quidem; sed licet Athenienses totum illum murum dejecerint, nonne prioris munimenti superfuerunt vestigia, ex quibus, quo tulisset ille murus, videre possent. Nonne, ut ne vestigia quidem reicta esse concedam, Syracusani memoria tenuerunt, quo spectavisset murus, quem haud multis diebus ante aedificaverant? Nonne igitur Thucydides de illo muro dicere potuit „*πρὸς τὸ ἐγκάρφτον τείχος*“? Recte sane addidisse Meinshausen I. l. mihi videatur haec: Werden doch bei uns noch ganze Feldmarken benannt nach dem Namen ehemaliger Dörfer, von denen seit dem 30jährigen Kriege auch nicht einmal eine Spur mehr vorhanden ist, und dem Thucydides sollte es nicht einmal gestattet gewesen sein, die Richtung dieser Mauer

zu bezeichnen nach der Richtung einer andern Mauer, die so viele selbst gesehen hatten und deren Spuren gewiss noch sehr deutlich vorhanden waren?

Itaque murum illum ita plane directum fuisse, ut in tabula adjecta litteris ff significavi, persuasum habeo.

Dum autem Syracusani murum simplicem aedificant, Athenienses absoluta ad mare munitione\* ad Epipolas ascenderunt, ubi muri partem infirmiorem Gylippus nocte frusta tentaverat. Nicias et hanc altiorem reddidit et praesidia ad totum murum custodiendum disposit. Atque quum intellexisset, Labdalo expugnato difficile esse Syracusas totas circummunire, navibus magis quam ante usus bello decertare constituit. Naves enim adhuc in interiore magni portus parte fuerant et magno demum spatio interjecto adversus hostes stationem habuerant. Itaque ut iis locum opportuniorem institueret, quod eo magis necessarium videbatur, quod duodecim naves Corinthiae Syracusas appulerant, Plemmyrium promontorium, quod e regione urbis situm portus introitum angustum reddit, munire voluit. Militum igitur parte et navibus eo traductis tria castella posuit, in quibus etiam armamenta pleraque asservarentur, et naves magnas et veloces

ibi stationem habere jussit. Sed haec Plemmyrii munitio, etsi commoda ea, quae diximus, Atheniensibus attulit, tamen propterea nocuit, quod nautae aquatum et lignatum procul ire coacti, ab equitibus Syracusanis, qui in oppidulo apud Olympieum sito collocati erant, oppressi perabant. Atque propter hanc cansam et alias difficultates, quae magis magisque crescebant, multi ad hostes transfugerunt. Ita factum est, ut Atheniensium copiae in dies minuerentur, Syracusanorum autem augerentur. cf. VII 13.

Gylippus autem simul murum illum amplius exstruxit lapidibus prius ab Atheniensibus in suum murum aggestis usus et Syracusanos sociosque in aciem produxit. Sed Syracusani, quum propter angustias equitatum et jaculatorum adhibere non potuissent, fugati et in muros rejecti sunt. Gylippus hanc cladem sibi, non militibus tribuendam esse professus mox iterum copias adversus hostes patentiore loco<sup>1)</sup> eduxit. Atque hac pugna Atheniensium cornu altero perturbato etiam reliquae partes fugatae in munitiones compulsae sunt. Qua victoria Syracusani tantum profecerunt, ut insequenti nocte murum ultra Atheniensium muros

<sup>1)</sup> Vox „ἐνστρωμέα“ etiam c. 3, 3 exstat; sed est alia hic et illie. Illic enim est sita inter muros Atheniensium et Syracusanorum; hic vero ab Atheniensium muris ad occasum versus pertinet.

perducerent. Non paullo post quum auxilia a Corinthiis, Ambraciots, Leucadiis missa advenissent, reliquam partem usque ad murum obliquum aedificaverunt. Verba Thucydidis (7, 2) *συνετείχισαν τὸ λοιπὸν τοῖς Σνρακοσίοις μέχρι τοῦ ἐγκαρ-*  
*σίου τείχους* a plerisque falso accepta et in hunc modum esse interpretanda puto. Verbis „μέχρι  
*τοῦ ἐγκαρσίου τείχους*“ significari murum illum obliquum quem priorem Syracusani ad Epipolarum declivia septentrionalia exstruxerint, si quae antea (p. 13—14) diximus, reputaverit, haud dubie nemo negabit; „τὸ λοιπὸν“ autem est ea pars muri simplicis, quae ab eo loco, quo murus Atheniensium munimenta superavit, usque ad murum illum obliquum (in tab. g—g) vergit. Quam vim Atheniensibus habuerit ille murus obliquus, antea exposimus; hoc quidem muro, quem Gylippus aedificavit, quum classis Atheniensium e Thapso in magnum portum invecta esset, id modo efficere potuerunt, ut urbs non circumvallaretur. Causam vero, cur simplici muro tantae res effici potuerint, in utroque muro eandem esse et in loci opportunitate ponendam esse persuasum habeo. Quum enim rupium earum, quae spectabant ad septentrionem, difficillimi aditus essent,<sup>1)</sup> Syracusani

1) Eandem ob causam Athenenses a Leonte portu ad Epipolas non recto itinere ascenderunt, sed Euryelum tumulum petere coacti sunt. cf. p. 9.

muro usque ad illas perducto habuerunt, quod sperarent, Athenienses urbem jam circummunituros non esse. Jam tum quidem, quum murus ille simplex ultra Atheniensium circumvallationem ductus est, fieri non potuit, ut urbs circummunitiretur,<sup>1)</sup> muro vero usque ad declivia perducto factum est, ut urbs ipsa undique firmissime munita esset.

Quum vero Syracusani murum perfecissent, Athenienses, quandoquidem nihil erat in Epipolis, quod facerent, Epipolis plane relictis in duplice in murum se receperunt. Ita factum est, ut Athenienses, qui Syracusas oppugnare voluerant, ipsi ob siderentur, id quod Nicias ipse in epistola ad Athenienses missa dicit: συμβέβηκέ τε, inquit, πολιορκεῖν δοκοῦντας ἡμᾶς ἄλλονς αὐτοὺς μᾶλλον, ὅσα γε κατὰ γῆν, τοῦτο πάσχειν — οὐδὲ γὰρ τῆς χώρας ἐπὶ πολὺ διὰ τοὺς ἐπιέις ἔξερχόμεθα.

Res igitur Atheniensium fuerunt in maximo discrimine. Naves enim tamdiu in aqua versatae erant, ut putrefierent, homines autem nautici indies diminuti sunt, aliis febri et hostium equitatu

---

1) Itaque Thucydides lib. VII 6, 4 dicit: ὥστε μηδέτι μήτε αὐτοὶ πολίνεσθαι ὑπὸ αὐτῶν, ἐπείρους τε καὶ παντάπειρον ἀπεστερηκένται, εἰ καὶ πρατοῖεν, μὴ ἐν ἔτι σφᾶς ἀποτείχισαι atque Nicias (VII 11, 3) ad eundum murum respiciens in epistola ad Athenienses data scribit: οἱ δὲ παρωκοδομήκαστιν ἡμῶν τεῖχος ἀπλοῦν, ὥστε μὴ εἶναι ἔτι περιτείχισαι αὐτούς, ἢν μὴ τις τὸ παρατείχισμα τοῦτο πολλῇ στρατιᾳ ἐπελθὼν ἔλῃ.

pereuntibus, aliis propter difficilem frumentationem et res male gestas transfugientibus.<sup>1)</sup> Ex muris autem, quos magna virium contentione moliti erant, utilitatem perceperunt nullam, sed in iis custodiendis tantam copiarum partem consump-

<sup>1)</sup> Locus, ubi Thucydides illas Atheniensium angustias describit (VII c. 13, 2) est ad explicandum difficilimus; praecepit autem dubitatur de verbis „ἐπ' αὐτομολίᾳς προσέσεις“, quae habent maxime varias interpretationes. Quarum omnium videtur optima esse enodatio Goelleri, qui, quum αὐτομολίᾳς esse acc. plur. interpretatus ἐπ' αὐτομολίᾳς cum verbo ἀπίσχονται conjungit, sic explicat: alii cum praetextu aliquo, alii prout singulis facultas offertur, transfugiunt. Atque ut intelligas, quae occasiones quique illi praetextus fuerint, apponit Plutarchi locum (Aem. Paul. c. 23) ad verba Thucydidis illustranda aptissimum: Τὸν δὲ ταῦτομολούστων ὁ μὲν τις ἑπόδημα προσποιούμενος λειψμένον συνάπτειν, ὁ δὲ ἕπτον ἄρδειν, ὁ δὲ πονοῦ χρήζειν, ἑπολειπόμενοι κατὰ μηρῶν ἀπεδίδοσσον. Hanc igitur explicationem Thucydidis verbis lucem afferre quis neget? At dubitari potest, num graecae linguae legibus consentanea sit. Nam ἐπὶ c. acc. ad illam sententiam exprimendam haud scio an alias frustra quaeras. Ponit enim solet ad consilium profectionis significandum aut de rebus arcessendis, ut supra c. 7 et 12 et IV 13, atque in dicendi generibus quibusdam ex eodem fonte ortis, ubi Germani pariter „auf“ praepositione utuntur, aut ante pronomina τοῦτο, οὗτοι. Accedit, ut Poppe pergit, quod hic unusquisque, ἐπ' αὐτομολίᾳς προσέσει si legitur, ἐπὶ cum προσέσει jungere cupiet. Quae quum ita sint et quum verba ἐπ' αὐτομολίᾳς προσέσει ab interpretatione quaque abhorreant, corrupta esse putantes alii conjecturis Thucydidis sententiam illustrare conati sunt. Reiskius igitur conjicit ἡλοποιίας vel λιθολογίας, Lindav. spicil. p. 12 αὐτοτελεῖας, quam emendationem Poppe refutatione indigere negat; Kruegerus (Bruchstücke etc. 51) αὐτομεζίας, αὐτοτολίας, Poppe

serunt, ut non haberent, unde contra Syracusanos quidquam perficerent. Plena erant omnia timoris et luctus. Dux ipse Nicias morbo premebatur et spem feliciter gestum iri rem abjecebat. Aliter apud Syracusanos res se habuit.

*αὐτομολίς* aut *αὐτομολίας*. Sed illae omnes conjecturae aut a verbis quae exstant esse alieniores aut nondum satis rem ipsam tetigisse mihi videntur. Itaque proposuerim *ἐπ' αὐτονομίας προφάσει* et explicaverim: sub libertatis praetextu i. e. libertate nixi. Voces enim *ἐπ' αὐτονομίας* facile corrumpi posse in *ἐπ' αὐτομολίας*, quis non intelligat? Nec vero, quae obtuli, Thueydidis sententiae repugnare puto. Quum enim „ξένοι“ diserte distinguantur in „ἀναγνωστοὶ ἴσβαντες“ et in „ὑπὸ μεγάλον μισθοῦ ἐπαιρθέντες“ posteriores quodammodo liberos fuisse maxime perspicuum est. Is autem, qui tamen in illis Atheniensium sociis fuisse liberos negat, inspiciat velim c. 57, ubi Thueydides Atheniensium auxilia enumerat. At dixerit fortasse quispiam, socios quamquam liberos, tamen quum pactione quadam obstricti essent, ordines deserere non debuisse. Recte quidem. Sed disciplinam militarem in Atheniensium exercitibus non ita magnam fuisse, quum aliunde notum est, tum Nicias ipse c. 14 dicit: *χαλεπαὶ γὰρ οἱ ὑμέτεραι φύσεις ἄρξαι*, idemque ex his proximis verbis intelligimus: *εἰσὶ δὲ οἱ οὐαὶ, αἴτοι ἐμπορευόμενοι, ἀνδραπόδα τικαριά, ἀντεμβιβάσαι υπὲρ σφῶν πείσαντες τοὺς τριηράρχους τὴν ἀκρίβειαν τοῦ ναυτικοῦ ἀφήσονται*. Nam eodem jure quo illi pro se navibus mancipia imposuerunt, hi abierunt. Voluntarii quippe erant, ut recte explicat Bauerus, qui tamen integra verba interpretatur, et spe praedae inducti, ab Atheniensibus ipsis proposita; qua destitutis profiteri liceret, nolle se amplius operam praebere Atheniensibus, domos abire velle.

Quodsi quae conjeci, receperis, haud dubie melius verba quae sequuntur: *οἱ δὲ οὓς ἔναστοι δύνανται* intelliges; dicit enim Thueydides eos, qui prout facultas fugiendi oblata est, discedant.

Victoriis enim, quos praeter expectationem adepti erant, animis erant erectis et alacribus atque magno studio bellum parabant. Gylippus igitur ad copias colligendas Siciliae urbes adiit, legati Spartam et Corinthum ad nova auxilia arcessenda missi sunt atque Syracusani ipsi classem complebant et exercebant, ut mari quoque pugnarent. cf. VII 7. Atque etiam Nicias auxilia sibi acquirere voluit. Itaque Athenas misit litteras, quibus quo in statu res essent declaravit, novos milites, pecuniam, naves postulavit et sibi ex renibus laboranti successorem dari jussit. VII 11—14. Athenienses autem ei imperium non abrogaverunt, sed interea Menandrum et Euthydemum, qui in Sicilia jam versati erant, duces adjunxerunt exercitumque novum mittendum censuerunt. Cujus imperator alter Eurymedon statim cum decem navibus et centum et viginti talentis proficisci jussus est, alter autem Demosthenes novam classem parare interim militesque cogere et subsequi. VII 16.

Gylippus cum auxiliis, quae collegerat, Syracusas reversus cum Hermocrate Syracusanis persuasit, ut pugnae navalis periculum facerent et se ipsum simul Plemmyrii castella adorturum esse docuit. Itaque postquam classis ornata est, noctu ex urbe egressus per Epipolas in planitiem

a tergo operum Atheniensium descendit et Anapo trajecto ad Plemmyrium pervenit. Atque classis quidem Syracusana, cuius quinque et triginta naves ex majore portu, quinque et quadraginta ex minore eo consilio proruperunt, ut conjunctae simul Plemmyrium invaderent, quum aliquamdiu alterae auncipite Marte dimicassent, alterae adeo superiores fuissent, universa fugata undecim naves perdidit. Gylippus vero facile, quum Athenienses animos ad pugnam navalem intentos haberent, tria castella cepit, ex quibus unum dirutum, reliqua reflecta et praesidiis occupata sunt. cf. c. e. 22—24.

Haec autem expugnatio Plemmyrii plurimum Atheniensibus nocuit; nam non solum multis bonis, pecunia, frumento, quadraginta triremium velis ceteris navium ornamenti privati sunt, sed commeatus etiam jam tuto importare non poterant, quoniam hostes in illo loco stationem habebant cf. 24. Illi enim metu Atticarum navium abjecto, quamquam navibus fuerant inferiores, se etiam mari Athenienses devicturos esse confisi sunt. Itaque etiam in mari exteriore expeditiones fecerunt, Atheniensium naves rebus pretiosis non nullas onustas perdiderunt, materiam ad naves aedificandas ab Atheniensibus congestam concrēmarunt. cf. 25. Atque in ipso portu certamen commissum est pro vallis a Syracusanis ante

vetera navium receptacula defixis, quorum plerosque Athenienses evellerunt. Multis aliis levibus proeliis factis et auxiliorum, quae Syracusanis e Siciliae fere omnibus urbibus convenerant, magna parte per Siculos deleta Syracusani cum Atheniensibus iterum et classe et peditatu pugnam committere constituerunt. cf. 36. Ex qua se videntes discessuros esse speraverunt propterea, quod navium proras breviores et firmiores trabibus prominentibus et tibicinibus reddidissent, ut adversis proris concurrentes Atticarum navium proras diffingerent et quod Athenienses propter portus angustias ex arte progrediendi et regrediendi utilitatem nullam perciperent. Neque vero eos spes victoriae fecerit. Biduo enim in parvis et levibus proeliis consumto tertio die Athenienses a Syracusanis Aristonis callido consilio in prandio oppressi maximam cladem accepérunt. cf. 39—41. Mersae quidem Atheniensium naves non plus septem sunt, sed multae laceratae et animi ita sunt demissi et perculti, ut nemo se exitium effugere posse putaret, quum Syracusani spem firmam concepissent, se classe quoque Atheniensibus longe superiores fore. Neque vero dubium est, quin Athenienses brevi tempore ab illis devicti fuissent, nisi eo ipso tempore advenissent Demosthenes et Eurymedon. Qui quum

adducerent classem septuaginta trium navium, peditatum quinque milium gravis armaturae, magnum numerum jaculatorum et funditorum Syracusanis terrorem injecerunt ingentem. Atque Athenienses recreati sunt ex magna illa maestitia. Demosthenes autem, ut erat magnae audaciae et alacritatis, non esse cunctandum existimavit sed quam celerrime temporis opportunitate utendum. Itaque eruptionibus pluribus factis, quum intellexisset illum, quem Syracusani postremum aedificassent, simplicem murum facile posse expugnari, primum machinis murum tentare instituit. Deinde, quum machinae a Syracusanis accensae et impetus repulsi essent, Epipolas ascendendas et inde magnum impetum in murum faciendum esse censuit. Itaque victu quinque dierum inter milites distributo et omnibus lapieidis et fabris tignariis subsequi jussis, Demosthenes et Menander Nicia in muris relicto prima nocte copias ad Epipolas adduxerunt. Atque Epipolis eadem, qua via Athenienses primum usi erant, ascensis, Syracusanorum praesidium oppresserunt et partem quandan interfecerunt. Reliqua autem pars effugit in tria castella, quae a Syracusanis et sociis mediis in Epipolis erant aedificata, et hic Atheniensium impetum nuntiavit. Quibus omnibus oppressis et in fugam militibus conversis Athene-

nienses quam celerrime in murum progressi sunt. Et jam illius lorias destruere cooperant, quum Syracusani Gylippo duce e propugnaculis accurserunt. Primo quidem ingressu rejecti sunt; tum vero Athenienses, quum jam victores se esse opinati prodirent incompositi, a Boeotis retenti atque fugati sunt. Atque inde exorta est terribilis confusio, ex qua amicus amicum, socius socium, cives civem trucidaret. Maxime vero Athenienses interfecti sunt, quum locorum imperiti hue et illuc trepidantes a Syracusanis, qui magis in acie remanebant, cognoscerentur et occiderentur. Itaque alii ab hostibus fugati ex rupibus praecipites se dejecerunt, alii effugerunt illi quidem hostes, sed a rectis viis deerraverunt et postridie a Syracusanis equitibus excepti interfici sunt, alii tandem aufugerunt et in munimenta pervenerunt. cf. 42—44.

Talem exitum habuit Demosthenis consilium Syracusarum incursione subita capiendarum. Magna vero erat Atheniensium animorum missio, neque unquam Syracusas oppugnare periculum fecerunt, sed in duplice muro remanserunt. Ea autem, quae postea Athenienses in Sicilia gesserint, quot quantaque mala perpessi sint, perscribere mihi non proposui.


---

## Litterarum, quae sunt in tabula, illustratio.

---

- aaaa, muri antiqui, qui Achradinam et Ortygiam coniunxerunt.  
bbbb, murus, quo Syracusani Temenitem muniverunt.  
cc, murus, quem Syracusani primum contra Atheniensium  
munimenta aedificaverunt.  
d, portula in illo muro.  
ee, vallum et fossa Syracusanorum.  
ff, murus, quem Gylippus aedificavit.  
gg, illius muri ea pars, quae dicitur *τὸ λοιπόν*.
- 

- $\alpha$ , Atheniensium cyclos.  
 $\beta$ , murus, qui perfectus est.  
 $\gamma\gamma$ , cursus muri, qui perfectus non est.  
 $\delta\delta$ , duplex Atheniensium murus.
-



adducerent clade peditatum quinque gnum numerum cusanis terrore. Athenienses recre Demosthenes autem alacritatis, non enim quam celerime te Itaque eruptionibus lexisset illum, quem faccissent, simplicem primum machinis munierat quum machinae a Syntus repulsi essent, Epipolis magnum impetum insuit. Itaque victu quo distributo et omnibus subsequi jussis, Demosthenes in muris relicto prima adduxerunt. Atque Epipolis Athenienses primum usi sanorum praesidium opprimentem interfecerunt. Reliquam in tria castella, quae a mediis in Epipolis erant atheniensium impetum nuntiavere oppressis et in fugam militum

